219

Gaudium Hybernum

STRENVA STEMMATIS NOBILITATE, ERVDITA PIETATE, virtute ſpectata, præclaraq; legalis ſcientiæ laude præſtantiſſimo

DOMINO

IONÆ A' SCHINDELL, IN BERNSTAD, SASTERhaus & Raab, Domino ſuo benigniſſimo, omni obſeruantia ſubmiſſe

Dedicatum à

IVSTINO VVILHELMO SVIDNICIENSI SILESIO.

LIPSIAE,
Imprimebat Michaël Lantzenberger.
ANNO M. D. XCVIII.

AD LECTOREM.

Sicut apis flores variis decerpit in hortis,
Vt mira dulces extruat arte fauos:
Biblia vix aliter versas VVilhelme legendo,
E quibus excerpas carmina grata DEO.
Nam miranda canis, cœli quod imago Monarchæ
Assumsit nostræ debile carnis onus.
Non subter regum spatiosa theatra potentum
Nascitur: In stabulo virgine prodit homo.
Hinc animæ Medicina venit, non arte Machaon
Hanc peperit: verum natus in orbe DEVS.
Vnde tibi licitum desumere Lector amice,
Si quid curarum, dulce leuamen, habes.
Hinc bene nosse datur tibi, qui reparare salutem
Promptus erat, cuius vi iacet hostis atrox.
Quod superest linguâ faueas, & fausta precare
VVilhelmo, veniant tempora, plura canet.

Heinricus Closius Suidnicensis S. LL. Cultor.

4628201
S2-2002/398/26
Biblioteka Śląska
[450-]
Sl 1763
10.10.2002

SIlicet æquorei tandem Sol cornua Capri
Intrat & obliquo lumine luſtrat humum,
Paulatimq; ſuos nobis temone reflexo
Rurſus ab auſtrali parte reducit equos.
Nec iuuat vlterius longas producere noctes:
Creſcit ab integro, laxior itq; dies.
Nam Lux ecce redit vigeſima quinta Decembris,
Quæ ſacra Chriſticolis annua feſta refert.
Feſta quibus terræ lætatur maximus orbis,
Et canit vnanimi iubila voce DEO.
Hæc eſt illa dies quam priſci temporis ætas
Fatidicis ſolita eſt concelebrare libris.
Hanc & Ieſſæi venturam pagina vatis
Innumerabilibus præcinit antè locis.
Hæc eſt illa dies qua Dijs ſtatuentibus olim
Contigit amiſſo ſpes animoſa gregi.
Namq; hac luce DEO genitus cœli arce relicta
Venit & aſſumſit debile carnis opus.
Exultate igitur, curasq; reſoluite mentis
Chriſticolæ, & geſtus hac date luce nouos.
Iam CHRISTVS caro noſtra eſt nobis fœdere iunctus,
Qui fuit æterno de genitore ſatus:
Immenſusq; DEVS puer eſt ex virgine natus,
Virgine, quæ ſacro flamine fœta fuit.
Hoc tam mirandum fœdus quis mente præhendet?
Excedit ſenſus, ingeniumq; ſupra eſt.
Nullius eſt hominis vis & facundia tanta,
Vt digno tantum carmine tractet onus.
Quo nullum maius, quo non inſignius vllum
Accidit in tractu totius orbis opus.
Ipſe DEI natus, qui nullo ex ſemine finxit
Quæ foris atq; intus machina tota tenet.

Vt genus humanum fallacis fraude Draconis
Delapsum in clades & mala fata videt.
Se medium inter nos offert interq; parentem,
Seruet vt à tantis nobile plasma malis:
Vt patris, ADAMI conceptum ex labe, furorem
Mitiget, his ad eum vocibus vsus, ait:
O dilecte pater, tua si clementia finem
Non habet hic iræ contrahe frena tuæ,
O scelus infandum, ô fraudem Rectoris Auerni,
Cuius blanditijs est superatus homo.
Soluam quicquid homo sceleris commisit, & vltrò
Verus de pura virgine nascar homo.
Et dicto citius Paradisi accedit ad hortum,
Mœstus vbi Adamus tristis & Eua latent.
O miseri reuocate animos, mœstumq; timorem
Mittite, nam vobis auxiliator ero.
Annorumq; statis reuolutis mensibus olim
Me puerum in lucem casta virago dabit,
Tunc ego pro mundi mactabor victima culpa,
Vt placem offensi cor animumq; Patris.
Ipse ego prævalida Stygij crudelia Regis
Frangam letha manu: meq; cadente cadet.
Me vincente omnis tenebrarum & carceris atri
Emota è proprijs sedibus aula ruet.
Hæc promissa DEI tandem res ipsa secuta est,
Augusto imperij sceptra tenente Duce.
Nam sacer è cœlo Nasarethum mittitur ales
Ad te Iessæo sanguine virgo sata.
Nec mora se castæ puram demittit in aluum
Virginis, æthereo qui patre natus erat.
Atq; hominis veri veram formam induit omnis,
Sed tamen expertam labis Adame tuæ.

O rem mirandam: quem totius ambitus orbis
Non capit, incluſum viſcera parua gerunt.
Qui cœlum & terram diuino numine complet,
Hunc humili in Bethle virgo pudica parit.
Qui ſator eſt rerum, paſcitq́; quod vndiq; ſpirat,
Vbere nutritur, matris opemq́; petit.
Sed quæ, Nate DEI, te miſit ab ætheris arce,
Quæue artus hominis ſumere cauſa iubet?
Non opus eſt verbis exponere pluribus illam:
Quam modo præcedens pagina monſtrat, ea eſt:
Nempe amor ille tuus, tuaq́; indulgentia ſumma,
Qua genus humanum, Chriſte benigne, foues:
Quod Satanæ ficto verborum lumine adactum
Arbore de vetita noxia poma rapit:
Pellitur hinc ſubito Paradiſi è dulcibus aruis,
Proſcinditq́; ſolum vomere, opusq́; facit.
Vnde his in terris rerum tam triſtis imago
Extitit, & loca ſunt omnia plena malis.
Quæ miſerè miſeros homines ſine fine fatigant,
Donec in hoc mundo languida membra trahunt.
Pallida quin etiam mors vitam falce recurua
Eripit, in cineres nosq́; redire facit.
Adde quod æterno nobis in ſulphure & igne,
Cum duce Tartareo pœna luenda foret:
Aſt, vt nos traheres tanto è diſcrimine rerum,
Veniſti ſupera patris ab arce tui.
Non erat aligera quiſquam de gente miniſtra,
Non hominum inuentus cœtibus vllus erat:
Qui flagrantem iræ poſſet reſtinguere flammam,
Hauſerat ex primo quam ſcelere ipſe DEVS.
Ergo tu ſortis miſerans incommoda noſtræ
E patrio prodis, Rex opulente, throno.

Et casta teneræ conceptus virginis aluo,
De nostra factus tu quoq; carne caro es.
Vt stirpis geminæ consors, hominisq; Deiq;,
Sic posses hominem conciliare Deo.
Tu patiente animo, pro nostro crimine suffers
Tormina, pauperiem, vulnera, probra, necem.
Vt tua vulneribus medeantur vulnera nostris,
Et mors morte tua nostra peremta cadat:
Iam lapsu Adami fuerant quæ perdita vitæ
Munera, morte tua sunt reparata pijs.
At quæ digna tuo laudum ornamenta reponam
Munere? te dignum quod mihi carmen erit?
Non opis est nostræ dignas persoluere grates
Pro tantis meritis & bonitate tua.
Ex Phlegetontis aquis quod nostram indute figuram
Ad cœli indignos aurea tecta vocas:
Has tamen exiguas, Iesu dulcissime, laudes
Accipe, quo grato pectore & ore fluunt.
Sit tibi laus, sit honor, cuius bonitate vicissim
Cœlorum nobis ianua clausa patet.
Laus eadem æterno sit Patri, cuius amore
Tu nobis miseris natus es atq; datus.
Spirituiq; sacro cuius virtute potenti
Concepit verum credula virgo Deum.
O sate mente Dei, nobis ô sanguine iuncte,
Per tua te supplex viscera sancte precor.
Nos placido vultu præsenti in turbine rerum
Aspice, & è cunctis eripe quæso malis.
Sol quia & Aegocerum perlustrans æquoris, anno
Finem affert veteri, principiumq; nouo.
Anno cum veteri finem largire malorum,
Vt placidum peragat fac nouus annus iter.

Asse-

Aſſere nos, verbumq; tuum, Turcasq; feroces
Finibus à noſtris & regione fuga.
Præſulis Auſonij, quæ nunc noua pectora verſat
Conſilia, in ventum diſſipet aura leuis.
Sint procul à nobis & noſtris ſemina peſtis:
Sit procul à nobis pernicioſa lues.
Et ſua corporibus noſtris alimenta miniſtra,
Affligat neruos ne male ſana fames.
Exulet à nobis Bellona armata ſagittis:
Vt vigeant artes cum pietate bonæ.
Vt tua voce pia celebrentur facta per orbem,
Nominis & creſcat famaq; lausq; tui.

FINIS.

Biblioteka Śląska

FINIS.